# DAPHNIS
## SEV
## DE FVNERE MA-GNI STEPHANI I. RE-GIS POLONORVM.

*Andreæ Schonei, in Academia Cracouiensi pu-blici Professoris.*

Ad Reuerendiss: ALBERTVM BARANOVIVM, Dei gratia Episcopum Premisliensem, Regni Poloniæ Procancellarium amplissimum.

## ECLOGA.



*CRACOVIAE;*
Typis Andreæ Petricouij. 1588.

# REVERENDISSIMO PREMISLIENSI,

Domino suo.

*Andreas Schoneus Glogouien.*

*Fert rusticus Poëta funus rusticum, at*
*Non rustici Regis. Te amabat ille plurimū:*
*Amabat ille omnes bonos, Rex optimus.*
*Sitque licèt aliis mortuus, viuit tamen*
*In ore memori, pectoreque semper tuo.*

# DAPHNIS SIVE DE FVNERE MAGNI STEPHANI I. REGIS POLONORVM.

## ECLOGA.

*Lycidas, Mœris, Mopsus.*

QVò te Mœri pedes ? quò flens mœstusq; capellas Ly.
Has paucas agis ? en nudis vix oſsibus hærent.
O Lycida, vix huc viui peruenimus ad te, Mœ.
Arma fremunt miſeris pluſquàm ciuilia, in agris:
Vndiq; nos feriunt externa internaq; tela.
Impius atq; rapax miles, nos ſæpe cruento
Aggreſſus gladio, nec ouilia pinguia tantùm
Meſſesq; immenſas, crudelibus abſtulit armis;
Verùm etiã hanc toties petiit cũ ſanguine vitam.
Fruſtrà illos moneas, lingua, aure, carere vidẽtur;
Os peregrinum, aures inſuetis vocibus implet
Noſtras, nos contrà iactamus in æthera, verba.
Quid domini faciunt veſtri? manibuſné reuinctis Ly.
Intereà ? aut cernunt oculis hæc talia inunctis ?

Mœ. Quid facerent. Eadem paſsi, nil profuit illis
Nobilitas, & Libertas, nil ſplendida veſtis,
Nil ſeruorum audax atq; imperioſa caterua.
Antè Deos quoſdam, ſtulti eſſe putauimus illos,
Cùm ſtrictos quaterent enſes impunè per vrbem,
Et ſæpè immeritos duro nos fuſte ferirent.

Ly. Omnia Mars æquat, tela inter bellica tantùm
Stemma genuſq; valent, quantũ vnguibus ille recuruis
Miluius, armigera Iouis aduentante volucre.

Mœ. Non hæc aſpiceres æquis, ſi vita maneret,
Daphni oculis. ô quæ te nobis fata tulerunt;
Non peccare, illo regnante, impunè licebat,
Imò etiam dominos ſolitus punire feroces.

Ly. Illené quem toties mirati aſpeximus? ille
Heros magnanimus, qui monte habitabat in illo,
Quo tumulum ſanctum, diuinaq; STANISLAI
Oſſa bis antiquo colimus de more quotannis?
Illené cui veſter dedit olim pruna Palæmon,
Dum rus tranſibat? Deus ille Deus mihi viſus.

Mœ. Namq; (fatebor enim) dum viueret ille, beatum
Me & fortunatum vicinia tota vocabat.
Læta ſeges ſemper ſuperabat vota, nec vnquam
Infœlix lolium noſtris conſpeximus agris.
Mille meæ errabant tutis in montibus agnæ,
Semper & ex noſtris prodibant plurima ſeptis
Armenta; haudq; nouum lac nobis defuit vnquã.

Ipſe qui-

Ipse quidem, toruę quoq; frontis militē habebat,
Sed rarò in nostris illos conspeximus oris:
Vastabant agros alio sub sole remotos,
Pugnandoq; feros pellebant finibus hostes.
Aut si quando ad nos remeabant, panibus atris
Lacteq; contenti presso, mordenteq; cepa.
Vix memini, rapuisse agnum, caprumúe suemúe.
At nunc vastarunt, prædatiq; omnia, nostros
Ante oculos, lachrimis frustrà ora rigātib⁹: omnes
Consumtæ fruges, data diris horrea flammis:
Diruta cum stabulis, gelido sub sidere, tecta:
Nullus aratri vsus, nemo nunc conserit arua,
Omnis humus squallet: neq; certus limes agrorū.
Quid referam abductas pecudes, & ouilia plena?
Vix potui has infœlices seruare capellas.
Vsq; adeò turbatur agris, hæc rustica vita.
O vtinam non hæc vidissem tempora; vos ô
Felices animæ, quibus antè occumbere morti
Contigit, ô vtinam vobiscum mortuus essem;
Aut aliis nasci terris mihi fata dedissent.
Nō equidem Daphnin generoso pectore Regem Ly.
Posse mori rebar: certasset viribus, ipsis
Tauris, si quando irati fera prælia motant.
Stultus ego nimiùm qui fleui nuper ademtæ,
Phyllidis interitum, cùm mors & corpora Regū
Consumat; non te posthac mea Phylli dolebo.
Omnes extinctum flebant, non tristior vnquam Mœ.

Viſa dies oculis mortalibus : ipſe pater Sol
Texerat obſcura nitidam ferrugine frontem :
Pallebat Phebe, pallebant ſidera cuncta.
Alma etiam tellus totos concuſſa per artus
Mugierat, magnumq; edebat pectore luctum.
Illa luce vltrò fugiebant gramina & vndas
Mœſtæ quadrupedes; paſsim per prata iacebant
Exanimis ſimiles tauri : balatibus agni
Triſtibus implebant auras : & vos quoq; veſtra
Seriùs ah miſeræ rediiſtis rupe capellæ.
Ly. Non facilè huic ſimilem Regem ſperate coloni,
Æreus ille fuit, fama ſuper æthera notus.
Quò me cunq; pedes ducebant, auribus hauſi
Vix aliud, quàm eius laudes & fortia facta
Cantari. Daphnin Daphnin loca cuncta ſonabāt.
Mœ. Hic ergò mihi ſemper erit Deus, illius vrnam
Et tumulum, ſpargam viola vernante, quotannis:
In pratis illi modulabor arundine carmen
Perpetuum, àériisq; vlmis, altæq; cupreſſo
Incidam nomen. tanget ſic ſidera Daphnis.
Ly. Sed cur non alium ſubitò è tot millibus vnum
Deligitis Regem, cùm tanta pericla minantur?
Mœ. Quid faceret demens diſcordia, nō benè fratres
Conueniunt; vnus nocet alteri & inuidet. Ante
Ceſſabunt ſub Vere nouo garrire volucres,
Et dura hæc quercus ſudabit Ruſsica mella:
Antè lupis iungentur oues, tauriſq; leones,

Quàm do-

Quàm dominos inter fuerit concordia noſtros.
Odere externos, externos attamen orbe
In toto quærunt Reges; nunc trans mare nobis
Fortè aliquem inuenient, vltrà Gotosq; Getasq.
Tu tamen his ne cede malis, animumq; reſume. Ly.
Omnia ſors verſat, venient meliora, tuasq;
Has iterùm cernes diſtentas lacte capellas,
Plurimaq; in ſaturis ſtabulis armenta notabis:
Ipſæ iterum rumpent felices horrea meſſes.
Sed venit ecce ad nos Mopſus, lachrymare videtur.
Vnde? optatus ades, dextra en, cur lumina turgẽt?
Vrbe ego nunc venio, vidi illic flebile funus Mop.
Daphnidis, impoſitum tumulo quem fleuimus omnes.
Vrbs tota ingenti luctu concuſſa remugit:
Omnes mœrentes, atratis veſtibus omnes:
Pectora tunduntur, crines lacerantur & ora,
Cæduntur frontes, lachrymis humus immadet omnis.
Ante ipſum corpus lucebant ordine longo
Ferales tædæ: tot equi velamine tecti
Ibant, armatiq; equites inſignia picta
Portantes; circùm populi ingens turba ruebat.
Hoſtibus arma alii victis direpta ferebant,
Haſtas ingentes, galeas, veſtesq; decoras:
Sceptrum alii, nudumque enſem, inſignemque coronam,

Ipſum au-

Ipſum autem centum pheretris lectiſsima pubes
Portabat. Vidi quoq; ferreũ equumq́; virumq́;.
Hinc tandem aſpexi Iuuenem, ſupereminet ille
Longè omnes capite, & roſea ceruice refulget.
Dicebant Regem eſſe nouum, ſimilemq́; priori.

Mœ. O vtinam nobis poſt hæc tua funera Daphni,
Succeſſu ſimili Daphnis reuireſcat, & agros
Reſpiciat noſtros, felixq́; in pace gubernet.